Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Duae erunt molentes in unum.

Molentes appellat eos qui in plebibus constituti reguntur doctoribus agentes ea quae sunt huius saeculi quos et feminarum nomine significavit. Quia consiliis ut dixi peritorum regi eis expedit et molentes dixit propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum quas tamen in uno molentes dixit. In quantum de ipsis rebus et negotiis suis praebent usibus ecclesiae. Unaquaeque enim huius mundi actio mola est quae dum multas curas congerit humanas mentes quasi per gyrum versat atque ex se velut farinam proicit: Quia in qua quis actione consistit semper minutissimas cogitationes gignit.

Una assumetur et altera relinquetur.

Assumetur ea parsque conubia propter amorem tantum generis exercuerit terrae namque substantiam ob adquirenda caelestia dispensaverit; relinquetur autem quae coniugiis ob inlecebras carnis serviens terrena vero si qua ecclesiae ut pauperibus obtulerit ideo fecerit quasi reddendo domino his amplius abundet.

Duo in agro unus assumetur et alter relinquetur.

Sicut supra in lecto uno et molentes in unum posuit. sic et hic in agro uno reor intellegendum. significat autem eos qui operantur in ecclesiae ministerio tamquam in agro dei cui suus agricola dicebat dei agricultura estis. Assumetur autem ille qui non adulterans verbum dei. sed sicut ex deo coram deo in Christo locutus fuerit. qui vero Christum adnuntiaverit non caste sed ex occasione relinquetur ab eo. Nec puto alia genera esse hominum quibus constat ecclesia quam ista tria habentia binas differentias. Nisi dominus propter assumptionem et relictionem quamvis in singulis multae studiorum voluntatumque diversitates ad concordiam tamen unitatemque concurrentes possint inveniri. Unde et Hiezechiel propheta tres viros liberatos vidit Noe. Danihel. et Iob. In quibus videlicet tribus praedicatores continentes atque coniugati signati sunt. Nam Noe arcam in undis rexit. atque ideo arcae figuram rectorum tenuit. Danihel et in aula regia abstinentiae deditus fuit et idcirco vitam continentium signavit. Iob vero in coniugio positus et curam domus propriae exercens placuit per quem digne bonorum coniugium ordo figuratur.

Lccxii / V / cclvii — Respondentes dicunt illi ubi domine qui dixit eis. ubicumque fuerit corpus illuc congregabuntur aquile.

Duo salvator interrogatus ubi scilicet boni assumendi et ubi sint mali relinquendi. unum dixit aliud subintellegendum reliquid. Sanctos enim secum futuros esse. veniendo reprobos nimirum a sua visione se cernendos. et ideo non alibi quam cum diabolo damnandos insinuat; Ubicumque ergo fuerit dominus corpore illo congregabuntur electi qui eius passionem humilitatemque imitando tamquam de eius carne saturentur. Quorum resurrectionem renovabitur ut aquile iuventus. Concinit etiam studiis eorum qui gloriam supernae maiestatis tota mente contemplari satagunt.

DE AQVILA. — Quod aquila ceteras aves volatu transgrediens in ipsum solis radium oculos gaudet infigere.

DE ETHITE LAPIDE. — Congruit et illud quod aetiten lapidem venenis resistentem suis nidis solet adferre. ne forte serpens accedere vel pullos aut ova sua tangere praesumat. Quia videlicet omnis sapiens